



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtru[m] pœna purgatorij sit grauißima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Purgatorium, & orationem pro defunctis; tamen dicunt se dubitare, vtrum igne corporeo crucientur, an tenebris duntaxat, vel alio aliquo modo: quam eorum sententiam Concilium tolerat.

Probatur Primò: Prioris ad Corinth. 3. *Saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*: hic Apostolus loquitur de vero igne, quia dies Domini in igne reuelabitur. Atqui loquitur de igne Purgatorij, qui minora peccata comburit, id est, comburendo expiat.

Probatur Secundò: Ignis inferni est corporeus: ergo etiam Purgatorij, cum iuxta receptam Doctorum sententiam, vnus idemque sit. Antecedens probatur Matth. 25. v. 41. *Itē in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Hic aperte insinuat eundem esse ignem quo spiritus cruciantur, & quo corpora impiorum: atqui constat, eum quo corpora impiorum vruntur, esse corporeum: ergo.

Probatur Tertio: Quia passim in Scriptura veteri & noua absolutè vocatur ignis, flamma, ardor, flagnum ignis & sulphuris, caminus ignis, gehenna ignis. Vide Esai. 33. & 66. Iob 20. Matthai 3. 5. 13. & 18. Apocal. 20. Quorsum semper vocetur ignis, si non sit verus ignis?

Denique idem colligitur ex testimonijs Patrum citatis. Vide Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 39. vbi expressè dicit, *ignem, quo anima puniuntur, esse corporeum*. Vide etiam August. lib. 20. de Ciuit. cap. 10.

Dices; Ignis non potest agere in spiritum, quia non potest producere nisi qualitatem corpoream, quæ non potest afficere materiam incorpoream.

Respondeo breuiter: Etsi ignis solis viribus naturæ non possit agere in spiritum à corpore separatum, potest tamen id diuinâ virtute, Deo singulari modo cooperante, & influente cum eius naturali facultate: Si enim ignis potest naturaliter agere in spiritum corpori vnitum, cui non possit diuinâ virtute concurrente in spiritum separatum? Et si calor ab igne productus in corpore, vel species sensibilis potest naturaliter concurrere cum potentia sentiendi, ad actum sensio-nis, qui iuxta veriore sententiam est qualitas spiritalis existens in ipsa animâ, nõ in corpore; cur diuinâ virtute cooperante non possit concurrere ad qualitatem spiritalem, vel ad sensum doloris in spiritu à corpore separato? De hac re vide plura lib. 13. de Perfectionibus diuinis c. 24. num. 134. vbi latè ostenditur Dæmones & damnatos in inferno vri igne corporeo.

DVBIVM II.

Vtrum pena Purgatorij sit grauissima?

Deo Primò: Pena damni, seu dilatio gloriæ, etsi sit grauissima appetitiuè, non tamen videtur grauissima acerbitate.

Prior Pars Probatur: quia sanctæ illæ animæ pleris æstimant visionem Dei, quam quoduis aliud bonum; omnia enim suis momentis æstimant: ergo pleris æstimant huius boni: earentiæ, quam quoduis aliud malum, cum quo hoc bonum possit consistere; malletque quiduis pati, & frui hoc bono, quam pati earentiam huius boni: ergo maxime dolent de hoc malo

appetitiuè. Idem videmus in viris sanctis etiam in hac vita: ad hoc enim perfecta charitas inclinat.

Altera Pars est D. Bonauenturæ d. 20. quæst. 2. art. 1. Ratio est: partim quia certissima spes, breui fore, vt Deum videant, summòperè eas consolatur; partim quia pœna sensus magis repugnat naturæ, vnde magis cruciat. Et confirmatur à simili: Quia Patres in limbo non tantopere cruciabantur ob earentiam visionis, quantum quis per pœnam ignis cruciaretur. Dices; Esse disparem rationem; quia Patres in limbo non ob culpam propriæ voluntatis, sed ob culpam originalem erant priuati illâ visione: animæ autem in Purgatorio ob culpam propriam. Respondeo: Id non tantopere refert. Nam substantia mali eadem est vtròbique. Est enim eadem earentia visionis diuinæ, & idem desiderium. Vnde si illos non cruciabat summè, neque etiam animas in Purgatorio summè cruciabit. Adde, nec damnatos maxime cruciari ob pœnam damni. Immo parum curarent, quod non fruantur diuino conspectu, si liceret illis perpetuò huius vitæ delicijs frui. Hoc patet in multis hominibus impijs adhuc viuentibus.

Dices; S. Augustinus in Enchirid. cap. 112. ait: *Exulare à ciuitate Dei, perire à regno Dei, tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta, que nouimus, comparari*.

Respondeo: Loquitur de magnitudine appetitiuonis, non acerbitatis, seu afflictionis. Dici etiam potest eum loqui de tormentis aliquandò finiendis, & de exilio nõ finiendo; vt patet intuenti verba.

Dico Secundò: Pœna ignis Purgatorij est grauissima quoad acerbitatem, atque adeò grauior quauis pœnâ huius vitæ. Est communis sententia Doctorum, eamque docet D. Augustinus aperte in Psal. 37. *Quia, inquit, dicitur saluus erit, ille ignis contemnitur; grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vitâ*. S. Gregorius in eundem Psal. illum, ait, *transitorium ignem omni tribulatione presenti existimo intolerabiliorem*. Similia habet Anselmus 1. ad Cor. 3. & multi alij. D. Bernardus epist. de obitu Humberti: *Post hanc vitam in Purgatorij locis centupliciter, qua fuerunt hic neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem*. Idem confirmari potest ex probatis reuelationibus, quas narrat Beda lib. 3. cap. 19. & lib. 3. cap. 13. Ratio esse potest, Primò: quia anima separata longè plura potest perferre, quam corpori iuncta: in corpore enim statim pœnis vincitur, eò quod fragile corpus statim dissoluatur, quo dissoluto necesse est hominem mori: sed extra corpus anima est immortalis, vnde in immensum eius pœna potest intendi. Deinde, quia ignis ibi agit vt instrumentum iustitiæ diuinæ; quo modo longè est efficacior, quam suapte naturâ. Denique, quia tunc ignis immediatè potest ipsam animam totam attingere, seu totaliter: nunc autem non attingit, nisi per medium, videlicet per corpus, tanquam per vestem, & quasi partialiter.

Dico Tertio, Valdè tamen probabile est, neque omnes animas quæ sunt in Purgatorio pati pœnam ignis; neque eas quæ pœnam ignis patiuntur, semper pœnam ignis pati. Vt enim verè do-

Non tamen est grauissima acerbitate.

Obiectis ex D. Aug.

Soluatur.

Pœna ignis in Purgatorio est grauissima acerbitate.

Non omnes animas in Purgatorio cruciantur pœnâ ignis.

19 Quomodo ignis corporeus possit agere in spiritum.

20 Pena damni in Purgatorio est grauissima appetitiuè.

et D. Bonaventura supra, dum poena Purgatorij dicitur grauior quauis poena huius vite, intelligendum est de grauiissima poena Purgatorij, quæ maior est, quàm grauiissima huius vite; ea autem est poena ignis; & de hac loquuntur Patres citati. Sunt tamen alia poenæ longè mitiores: Non enim videtur credibile, pro vno verbulo otioso hominem ibi exurendum, sicuti hîc exuruntur latrones. Deinde, ex probatis visionibus habemus, quorundam poenam esse valde exiguam, vt vix quidquam pati videantur præter mœsticiam quandam ob dilatione cœlestis patriæ; vt patet ex visione Dri-thelmi, apud Bedam lib. 5. cap. 13. qui in amœnissimo loco multa millia animarum albataram Deo canentium laudes vidit, ita vt putaret esse paradysum; quæ tamen animæ non erant perfectè expiatae. Vnde & iste locus ad purgatorium pertinebat, siue sub terra, siue super terram fuerit. Nam etsi locum, vbi ordinariè fit expiatio animarum, sub terra ponamus; non tamen negamus etiam alibi purgari posse, præsertim eas, in quibus parum restat purgandum. Denique, quia valde probabile est, poenam sensim minui, vt tandem minima sit. Colligitur ex vita S. Malachie, cui foror, vt scribit S. Bernardus cap. 4. vite eius, apparuit: primò, in veste pullâ ad limen Ecclesie foris; secundò, in veste subfuscâ, & intra limen Ecclesie, procul tamen ab altari; tertio, in veste candidâ ad ipsum altare cum ceteris sanctis. Similis etiam visio est apud D. Gregorium 2. Dialog. c. 23. de duabus monialibus, quibus S. Benedictus minatus erat excommunicationem.

Anime sub-  
inde alibi,  
quàm sub  
terra, pur-  
gantur.

## DVBIUM III.

*Vtrum anima in Purgatorio à demonibus tor-  
queatur?*

23  
Solum ab  
igne tor-  
quentur.

Probabile  
est interdum  
etiam à de-  
monibus  
torquetur.

Communior sententia est, neque ab Angelis, neque à demonibus torqueri; sed solum ab igne, vt est instrumentum diuinæ Iustitiæ. Est tamen satis probabile, interdum à demonibus torqueri, quia non perfectè illos vicerunt, sed ex parte ab illis victi sunt, consentientes peccatis venialibus vel mortiferis, pro quibus poenæ temporales restant luendæ. Confirmatur ex visione B. Furci apud Bedam lib. 3. hist. Angl. cap. 19. & ex vita D. Bern. lib. 1. cap. 10. vbi quidam frater defunctus B. Bernardo apparuit, qui se quatuor lacertis traditum esse dixit, qui postea precibus S. Bernardi liberatus est.

## DVBIUM IV.

*Quàm diu durent poena Purgatorij?*

24  
Poena pur-  
gatorij non  
durat ultra  
diem iudi-  
cij.

Respondes: Certum esse, non durare ultra diem extremi iudicij, vt docet S. Aug. l. 21. de Ciuit. c. 16. Purgatorias, inquit, poenas nullas futuras opinetur, nisi ante vltimum illud tremendumque iudicium. Et colligitur aperte Matth. 25. vbi tantum duo statuuntur ordines iudicandorum, quorum illi ibunt in vitam æternam, illi in ignem æternum: ergo nulli in ignem temporale; omnes enim fideles ad alterutrum istorum ordinum pertinent.

Vtrum autem vna eademq; anima per aliquot annorum centurias, vsque ad diem iudicij sit puniendâ, non est ita certum. Dominicus Soto d. 19. q. 3. a. 2. putat nullam manere in purgatorio ultra

Dom. Soto  
eas coarctat  
ad 10. annos

decennium, quia grauitas poenæ compensat diurnitatem.

Sed probabilius est, aliquas ibi diutissimè, et- Verosimi-  
iam per aliquot annorū centenarios, puniri. Nam lius quidā  
Ecclesia celebrat Anniversaria defunctorū etiam eas patron-  
per aliquot annorū centenarios. Censet ergo fieri tur per an-  
posse, vt tam diu auxilio opus habeant. Idem etiā norum cen-  
confirmatur ex foundationibus perpetuis Anniver- turias,  
sariorum. Confirmari etiam potest ex Beda lib. 5.  
cap. 13. vbi Angelus dixit S. Dirthelmo; animas eorum, qui in hæc vitâ semper malè vixerunt, & tandem sub finem conuertuntur, saluandas omnes in die iudicij, quauis aliqua orationibus & elemosynis viuendum, & præsertim altaris sacrificio iuari possint, vt ante illum diem liberentur.

## CAPVT III.

De conditione animarum pur-  
gandarum.

Suppono nullam animâ purgari post hanc vi- 25  
tam, nisi in charitate decesserit, obstricta tamen culpâ aliquâ veniali, vel saltem reatu poenæ. Affidue  
Vide B. Augustinum lib. 21. de Ciuit. cap. 26. Deum lau-  
dauit.

Hinc sequitur, animas illas assidue amare & laudare Deum, patienterque ferre supplicia. Colligitur Apocal. 5. sub finem. Ratio est, quia virtutes in anima separata non possunt esse otiosæ, cum nihil habeant impediendi, & suapte naturâ in suas functiones propendeant, neque etiam corpore aggraentur, neque tormentis impediuntur: hæc enim non impediunt, nisi turbando organa corporæ, quæ ibi non sunt. Vnde etiam in inferno perfecta ratione vtuntur, vti colligitur Lucæ. 6.

## DVBIUM I.

*Vtrum possint ibi mereri, vel  
demereri?*

Respondes: Neutrum posse. Est contra Lutherum art. 39. vbi docuit eas continuo demereri, eò quod poenas refugiant: posse tamen & debere mereri, vt habet art. 38. eò quod charitas ipsarū sit imperfecta. Sed probatur nostra doctrina, 2. ad Corinth. 5. vers. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gesserit, siue bonum siue malū. Cur addit, Propria corporis, nisi quia ea, quæ post corpus fiunt, non puniuntur aut remunerantur? Sap. 4. v. 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectū eius: ergo post mortem non potest quis mutari. Idem significatur Ecclesiastæ 11. v. 3. In quocunque loco ceciderit, ibi erit. Vide Ecclesiastæ 9. & Ecclesiastici 14. Hinc D. Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. ait; Neminem Christianum hæc de re dubitare posse. Ratio est, Diuina ordinatio, quæ hunc mundum voluit hominibus esse ceu stadium ac palestrâ; actiones huius vitæ, cursum in stadio; mortem, terminum cursus, quando præmia, id est, honor vel ignominia cursoribus est tribuenda. Opera autem bona vel mala, quæ post hanc vitâ fiunt, non pertinent ad cursum: vnde nec impuntantur ad meritum vel demeritum, ac proinde nõ augent præmiū vel supplicium; sed sunt fructus animæ in termino constitutæ.

26  
Nec merē-  
tur, nec de-  
merentur.

Dices